

quia ex concessione Concilii Constantiensis supra allati, fideles possunt communicare cum excommunicatis toleratis in rebus Divinis, & humanis: ergo etiam possunt pro ipis offerre communia Ecclesie suffragia. *Ex quo sequitur.* I. Sacerdotem Catholicum posse celebrare Missam pro hæretico, etiam pro stipendio, etiam ad eius intentionem bonam, v. g. in Honorem S. Antonii de Padua pro invenendis rebus deperditis, pro recuperanda sanitate &c. II. Quod licet excommunicati sive non tolerati, sive tolerati, nequeant lucrari indulgentias, cum ipsis, ut jam dictum, nulla sit gratia facta per Concilium Constantiense; nihilominus, si aliqua indulgentia sit applicabilis alteri, vivo, vel defuncto, tunc ea a fidelis possit applicare excommunicato tolerato vivo, vel defuncto, si per contritionem perfectam se posuisset in statum gratiæ. La Croix lib. 6. part. 2. num. 1354. & 1355. & lib. 7. num. 206. Nec per hoc fit directè favor excommunicatis, sed potius hoc directè cedit in commodum fidelium, tam spirituale; quia per tale opus charitatis apud DEUM merentur, quam temporale, propter stipendia, quæ inde percipere possunt. *Nec sequitur:* quod per hoc excommunicati tolerati sint æqualis conditionis cum non excommunicatis: quia Ecclesia vult, ut publica suffragia aliis fidelibus ex communi intentione applicentur, etsi ea offerentes nullam eorum faciant specialem mentionem: excommunicatis verò toleratis non vult, ut suffragia ex communi intentione applicentur, nisi fideles specialiter hoc velint, & faciant. *Nec denique obstat,* quod de natura excommunicationis sit, excludere excommunicatum à communibus Ecclesie suffragiis; hoc enim verum est, quantum est de se, & de natura excommunicationis, & si fideles nolint cum ipso communicare, & pro eo offerre specialiter suffragia Ecclesie, secus verò, si velint, non ob favorem excommunicati, sed fidelium, ut supra dictum; quod clarè patet ex Jure antiquo, & colligitur ex cap. non ab homine, de sentent. excomm. ubi non obstante excommunicatione, poterant à fidelibus offerri, suffragia pro excommunicatis occultis, ut fatetur ipse Suarez.

S. II. Usu Activo, & Passivo Sacramentorum.

74 I. Certum est, excommunicatum etiam toleratum graviter peccare, per se loquendo (nisi videlicet excuset ignorantia invincibilis Juris, vel facti, aut periculum infortiæ, alteriusve gravis damni) percipiendum quodcumque Sacramentum; quia id prohibetur innotato excommunicatione minori ex cap. si quem, de sentent. excomm. & alibi; excommunicato autem major habet effectus minoris, longèque plures juxta DD. communiter. Nihilominus excommunicatus etiam non toleratus validè recipit Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, excepto Pœnitentiæ Sacramento. Ratio est: quia supponuntur adesse omnia essentialia, scilicet debita materia, forma, intentio Ministri, ac suscipientis. Dixi: *Excepto Pœnitentiæ Sacramento;* quia hoc ad validam sui suspensionem requirit dispositionem penitentis, videlicet, verum dolorem, & propositum non peccandi; quæ in tali excommunicato non adest, eo ipso, quod in excommunicatione existens, & scienter recipere volens Sacramentum, peccet mortaliter. Si tamen excommunicatus bona fide procederet, videlicet laborans ignorantia invincibili, vel facti, ut si invincibiliter non recorderet excommunicationis; aut ignoret se commississe delictum, cui excommunicatio annexa est; vel Juris, ut si invincibiliter ignoret absolutionem à peccatis prærequiri absolutionem ab excommunicatione, & eliceret verum dolorem, ac propositum, absolvereturque à peccatis, non præmissa absolutione ab excommunicatione, valida esset absolutio, cum onere tamen postea petendi absolutionem à censura, cum ei innosceret. Ita Coninch. Palaus, Mastrius, Fillinius, Bonacina, & pluribus citatis P. Patritius Sporer Theol. Sacrament. part. 3. cap. 5. num. 633. apud quem vide Rationem hujus sententiæ.

75 II. Quantum ad usum activum, seu administrationem Sacramentorum, etiam certum est, excommunicatum, etiam toleratum, si memor excommunicationis admittat Sacramenta, nec alia causa rationabilis eidem suffragetur, peccare mortaliter ob prævaricationem præcepti Ecclesiastici in re gravi, prohibentis excommunicato administrationem Sacramentorum. Ita communis Theologorum cum Doctore nostro Subtili in 4. d. 25. qu. 1. apud Mastrium cit. qu. 2. art. 2. num. 45. Nec minus certum est, Sacramen-

ta consecrata à Ministro excommunicato, etiam non tolerato esse valida, excepto penitentia Sacramento, quia in aliis Sacramentis ad valorem non requiritur potestas Jurisdictionis, qua privatus est excommunicatus, ad Sacramentum verò Pœnitentiæ validè conchendum requiritur potestas Jurisdictionis, cum fiat per modum Judicii. Ex quo sequitur, Sacramentum Pœnitentiæ administratum ab excommunicato non tolerato, extra casum necessitatis, esse invalidum; quia, ut modò dictum, ad valorem hujus Sacramenti desideratur in ministro non tantum potestas, sed & Jurisdictionis, qua excommunicatus non toleratus, est privatus; in mortis tamen articulo constitutum excommunicatus non toleratus validè absolvit, saltem si deficiat copia alterius Sacerdotis. Ita P. Patritius Sporer Theol. Sacram. part. 3. cap. 6. sect. 1. num. 723. quem vide. Dictum est: Sacramentum Pœnitentiæ administratum ab excommunicato non tolerato, extra casum necessitatis esse invalidum: nam Sacerdos excommunicatus toleratus, post Concilium Constantiense, validè administrat hoc Sacramentum; quia hoc ipso, quod Ecclesia illum tolerat, fidelibus indulgendo communicationem cum illo in recipendis ab eo Sacramentis, debet in illo relinquere Jurisdictionem, qui quidem favor indirectè resultat in commodum ipsius excommunicati; eo tamen Ecclesia per se, directè, & immediatè intendit succurrere fidelibus, ut supra jam dictum. Ex quibus sequitur I. excommunicatum non toleratum, si admittat Sacramentum Pœnitentiæ in casu necessitatis, v. g. articulo mortis, non peccare contra præceptum Ecclesie; cum pro tunc Ecclesia eidem non interdicit ministerium istud, sed magis præcipiat, ne infirmus æternæ damnationis periculo exponatur. Similiter, si infirmus non potuit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, potest talis illi administrare Eucharistiam, vel Extremam Unctionem, imò etsi infirmus fuisset Sacramentaliter absolutus, adhuc licitè eipretur à tali Eucharistia saltem. Ratio horum desumitur ex infirmis necessitate, & indigentia, Ecclesieque tamquam Patris Matris præsumpta benigna voluntate. Sequitur II. excommunicatum toleratum licitè administrare Sacramenta, modò se non ultroneè immisceat, sed ab ipso petantur. Patet ex constitutione Concilii Constantiensis supra adducta. Si dicas; talem excommunicatum posse alios inducere, ut à se petant Sacramenta, vel ut pro se offerant Ecclesie suffragia; nam ad id licitè alterum induco, quod is à me potest licitè petere. Respondet, quod assumptum cum probatione universaliter non fit verum; nam ob causam utilitatis propriæ, vel alienæ possunt petere licitè mutuum ab usurario parato dare sub usuris; nec tamen usurarius potest me licitè invitare, ut taliter ab eo petam, &c. Ceterum sufficit in proposito, si fideles saltem tacitè, & interpretativè petant Sacramenta, vel celebrationem Missæ à Sacerdote excommunicato tolerato. Imò non deest casus, in quo Sacerdos excommunicatus in defectu alterius, possit imò teneretur infirmum salutis propriæ incurium inducere ad suscipienda à se Sacramenta, ad hoc enim ipsum obligaret charitas proximi. Ex supra dictis.

III. Inferitur, ministris Ecclesie esse obligatos ad denegandum Sacramenta excommunicatis vitandis, seu non toleratis, ex cap. cum desideres, cap. significavit, de sentent. excomm. Secus facientes ultra peccatum mortale, excommunicationem incurrunt, & ab ingressu Ecclesie interdicti sunt cap. Episcoporum, de privil. in 6. Si quis excommunicato, & denunciato à Papa, aliquid ministrat, majorem contrahit excommunicationem Papæ reservatam cap. significavit, de sentent. excomm. Denique si excommunicato propter hæresim, vel illius fautoriam aliquid ministrat, officio privandus, nec restituendus sine indulto Sedis Apostolicæ decernitur cap. excommunicamus, de Heret. Loquendo verò de aliis excommunicatis toleratis, ex vi censure quis non obligatur ad deneganda illis Sacramenta, ut ex dictis patet; si tamen quis sciat illos nondum esse absolutos à censura, tenetur ea denegare illis ex vi Sacramenti; ne eidem fiat irreverentia per indignam susceptionem, adeoque debet denegare, si possit abique alterius infamiatione, ut docet P. Patritius Sporer Theol. Sacrament. p. 1. cap. 3. sect. 5. num. 186.

IV. Hic etiam advertendum, excommunicatum ob indignam susceptionem Sacramenti non fieri reum alicujus pœnæ; cum nulla in jure sit decreta, & expressa. Excipitur tamen Sacramentum Ordinis; hoc enim si recipit excommunicatus, suspenditur ab exercitio Ordinis, quem suscepit, per cap. cum illorum, de sentent. excomm. & notat præterea Bonacina ex Suarez & aliis, talem si suscipiat Ordines Sacros, incurrere irregularitatem. Qui verò illicitè, ratione ipsius excommunicationis, ministrant Sacramenta, quæ ad sui collationem requirunt, exercitium

tium Ordinis, incurrunt irregularitatem, sive sint excommunicati vitandi, sive non. Colligitur ex cap. fin. de Cler. excomm. ministr. quod etiam dicendum esse de excommunicato vitando, dum invalidè absolvit, communis tenet modò sententiæ; eò quod secundum modum loquendi communem, Sacramentum dicatur administrare, quamvis illud invalidè ministrat.

Denique quantum ad Sacramentalia dicendum, ea etiam ab excommunicato vitando consecrata, veluti sunt consecrationes, & benedictiones ab Ecclesia Ordinariæ, valere, quia eorum valor de facto non à Jurisdictione, sed à potestate Ordinis dependet.

S. III. Divinis Officiis, & Ecclesiastica sepultura.

78 I. Certum est, excommunicatum à Divinorum Officiorum celebratione, illorumque assistentia excludum esse, uti insinuat cap. significavit, de sentent. excomm. &c. Alma mater eod. tit. in 6. Inter Officia Divina primum locum obtinet Missæ Sacrificium: cui proinde, si intersit excommunicatus, peccabit mortaliter: cum hac tamen differentia, quod solus excommunicatus non toleratus, si sit in Ecclesia, tempore Missæ debeat expelli, & Sacerdos debeat sistere in Missa, donec expellatur. Si autem nequeat expelli debet Sacerdos (sicut, & populus) recedere ab Altari, etsi sit in Canone, modò sit ante verba consecrationis, juxta Avilam, & Suarez apud Layman cit. cap. 2. num. 6. Quod si consecratio esset incepta, vel peracta, Sacerdos usque ad calicis summationem inclusive, debet peragere Missam, quia integritas Sacrificii est de jure Divino, quod præponderat Ecclesiastico; & peracta summatione debet recedere ab Altari, ac reliqua supplere in Sacrificia. Alii tamen omnes, præter Altaris ministrum, recedere coguntur, quia cum excommunicato non tolerato in sacris Officiis communicare non licet. Debent tamen hæc intelligi de Sacrificio Missæ comparatione ejus dumtaxat Altaris, cui excommunicatus assistere præsumit; nam interim nihil obstat, quominus in aliis Altaribus Missa peragatur, præsentibus etiam fidelibus, sicut notavit Suarez apud Layman citatum. Excommunicatum autem toleratum non tenentur fideles è templo expellere, nec eum vitare in audienda Missa, quia fidelibus per Concilium Constantiense concessum est communicari cum excommunicatis toleratis: Imò Gobat apud La Croix lib. 3. p. 1. num. 613. censet Hæreticos in Germania non peccare, adeundo Ecclesiam Catholicam tempore Missæ, tum quia non putant esse excommunicatos: tum quia per talem aditum disponunt ad conversionem.

79 II. Utrum excommunicatus, si in procuranda absolutione negligens sit, peccet etiam contra Ecclesiasticum præceptum de audienda Missa, annua confessione, & communionem Paschali, ad quod probabiliter respondetur. I. Cum Navarro cap. 21. num. 3. Suarez tom. 3. disp. 83. sect. 6. Layman cit. num. 2. Non peccare contra præceptum audiendæ Missæ. Ratio est, quia quoad id in excommunicatione est; Missam audire non debet: sed neque ratione præcepti obligatus videtur, ut se disponat, & impedimentum tollat: cum ea dispositio valde remota sit: quemadmodum nec is, qui sua culpa in vinculis detinetur, contra præceptum de Missa audienda die festo, delinquit. Respondet II. Excommunicatum voluntariè in excommunicatione persistentem, peccare contra præcepta, etiam quatenus Ecclesiastica sunt, suscipiendi Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Ita Navarrus cap. 21. n. 34. Suarez cit. & Layman cit. num. 3. contra Avilam. Ratio est, quia hæc præcepta per se obligant ad mundandam conscientiam & consequenter ad tollenda vincula, tum peccatorum mortalium, tum etiam excommunicationis.

80 III. Post Missæ Sacrificium alia sunt, quæ computantur inter Officia Divina, præcipue publica recitatio horarum Canoniarum. Excommunicatum hac privari, constat ex multis textibus Juris Canonici, in quibus excommunicato generaliter interdicitur assistentia Divinorum Officiorum. Nihilominus privatim potest recitare horas Canonicas, imò etiam tenetur, si aliunde sit adstrictus titulo Professionis, Ordinis, vel Beneficii, quia nulla est causa excommunicationis in hoc relevandi: siquidem privata recitatione non censetur cum aliis fidelibus communicare, neque oppositum Ecclesia ullibi constituit. Nec obstat, quod excommunicatus Beneficiatus, stante excommunicatione, non percipiat fructus beneficii: Nam sua culpa privatus est fructibus beneficii, consequenter à recitatione horarum Canoniarum non eximitur, cum titulus beneficii adhuc perseveret, & damnus, quod quis sentit sua culpa, sibi

Suppl. Theol. Decal.

imputare debet. Reg. 86. de Reg. Jur. in 6. Ne verò tunc convincatur cum aliis communicare: plures putant, loco Dominus vobiscum, teneri saltem sub veniali dicere: Domine exaudi orationem meam: sunt tamen, qui in hoc nullam agnoscunt culpam: eò quod illorum verborum prolatio absentibus aliis fidelibus, non sit cum illis communicatio, sed privata pro illis oratio: uti neque initium matutini sub his verbis: Venite, exultemus Domino, &c. censetur communicatio cum aliis. Possitne autem talis socium ad recitationem horarum Canoniarum adhibere? decusum est negativè can. excomm. 11. qu. 3. quia aliàs in Divinis communicaret cum illo, quod etiam post Concilium Constantiense manet prohibitum. Si tamen adhibeat, peccabit tantum venialiter: cum ea communicatio levis, quia sit privatim.

Uterius excommunicatus sub mortali prohibetur assistere processionibus, facere benedictiones, consecrationes, vel similes ceremonias, quæ ex Ecclesie, vel Christi institutione à Ministris ad id ordinatis solemniter fiunt, uti eruitur ex variis juribus, & quia excommunicatus in sacris illicitè communicat cum aliis. Non tamen privatur excommunicatus omni usu rerum sacrarum, quia potest privatim recitare Divinum Officium, ut jam supra dictum, potest etiam ingredi templum, privatim, & separatim ab aliis orare, potest uti sacris imaginibus, & Sacramentalibus, quatenus deserunt privatæ devotioni, quia excommunicatus nullibi arceatur ab ingressu materiali templi: unde ejectio excommunicati, cujus executio præcipitur Officiariis in jure, non est ejectio ab Ecclesia materiali, sed formalis, id est, à cœtu, & participatione fidelium. Ita Palaus, Bonacina, & Alii. Imò excommunicatus, sive toleratus, sive vitandus licitè interest concioni, ex cap. Responsa, de sentent. Denique licitè est excommunicato tolerato concionari, aliis fidelibus id requirentibus, ut supra.

IV. Excommunicatus nec in vita, nec post mortem absolutus, privatur Ecclesiastica sepultura: ex cap. sacris, de sepul. ibi: sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis. Quo fit, ut excommunicatis toleratis concedi possit sepultura Ecclesiastica, si ante mortem signa contritionis exhibuerint, quia cum talibus postsumus communicare in vita ex Concilio Constantiensi citato: ergo etiam post mortem. Ita Andreas à Matre DEI, n. 73. Coninch. n. 45. Palaus, nu. 12. Layman citat. cap. 4. n. 9. & alii, licet non pauci desideret eo casu absolutionem, quando excommunicatio est publica, ut Engel, Herincx, Reiffenuel, &c. quod si talis excommunicatus impenitens decesserit, v. gr. Hæreticus in hæresi formalis, sacra sepultura prohiberi debet, non ob censuram præcisè, sed ob peccatum mortale, in quo notoriè decessit, & ob id orationum, & suffragiorum Ecclesie incapax est: Subdit tamen Layman citat. Verum tamen est, quod in quibusdam Germaniæ locis, quibus cum Catholicis Lutherani permixti vivunt, diuturna consuetudine permittitur, ut hi in locis sacris sepeliantur à ministris suis; si tamen possibile esset, talis consuetudo tolli deberet, atque curandum ut Catholicis separatim ab Hæreticis sepultura locum sacrum rerinerent. Id verò minus dubitationis continet, quod ejusmodi hominum funera cognati, & amici Catholici comitari solent: tum quia talis cooperatio ad sepulturam valde remota, & materialis est, ideòque ejusmodi comitantes nomine sepelientium non comprehendunt, sicuti docet Glossa in Clement. 1. verbo: sepelire, de sepultur. Navarrus c. 27. n. 137. Tum quia talis comitatus cognationis, aut necessitudinis causa præstitus, potius ad politicam communicationem spectat. Hucusque Layman citat.

Quæres: Quid faciendum, si excommunicatus vitandus sepultus fuerit in loco sacro? Ref. in c. sacris, de sepulturis præcipi, ut ossa illius, si ab aliorum ossibus discerni possint exhumentur, & foras projiciantur. Ecclesia verò, vel cæmeterium, utpotè polluta reconcilianda sunt. Nec poterunt in tali loco ante reconciliationem Officia Divina celebrari, vel fidelium corpora sepeliri. Si verò excommunicatus hujusmodi, ante mortem dederit signa Pœnitentiæ, absolvendus est, priusquam sepeliatur: si autem jam sit tumulatus, non est exhumandus, sed absolvendus, perita prius absolutione ab Hæreticis, ut docent Andreas à Matre DEI nu. 74. & Herincx hic num. 31.

§. IV. Beneficiis Ecclesiasticis, horum proveni- tibus, & aliis dignitatibus.

84 I. Excommunicatus est incapax beneficii Ecclesiastici, etiam toleratus, neque eidem suffragatur in hoc ignorantia invincibilis de excommunicatione contracta, vel nondum sublata. Ita communior apud Palaum, Andream à Matre DEI, Filiucium, Coninch Layman cit. cap. 2. nu. 7. qui citat etiam Covarruviam, Henriquez, Garziam, Suarez, Avilam, Lessum, &c. Ratio est: quia cap. postulasus, de Clerico excomm. ministr. dicitur: cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint Canonice consecuti. Patet proinde, præsentationem, & collationem, institutionem, & confirmationem excommunicato factam esse ipso Jure nullam, & irritam; & merito, si quidem excommunicato prohibito est Officium Ecclesiasticum exercere, & cum fidelibus communicare: ergo Jure excluditur à Beneficio Ecclesiastico, quod exigit Officium Ecclesiasticum usum, & communicationem. Quod etiam de Excommunicato tolerato intelligendum esse, inde liquet; quia consecutio beneficii Ecclesiastici directe concernit favorem Beneficiarii, qualem tamen non intendit excommunicato etiam tolerato conferre Concilium Constantiense supra cit. Ergo sicut talis vi juris communis est incapax, eadem quoque incapacitas perseverat in illo post Concilium cit. & conferens, eo casu, peccat contra Jus Divinum, dum confert Beneficium indigno; neque inhabilitatem excommunicati Jure introductam tollere potest. Denique quod ignorantia invincibilis in hoc casu non suffragetur excommunicato, inde desumitur, quod, licet ignorantia invincibilis obligationis, aut præcepti excuset à culpa, & poena inde resultante; ignorantia tamen contracti impedimenti, seu inhabilitatis aliquem non potest reddere habilem; adeoque sicut ignorantia censuræ contractæ, hanc non tollit, ita neque inhabilitatem à censura provenientem. Ceterum, qui bona fide Beneficium accepit, eique deservivit, licet postea impedimento cognito teneatur illud derelinquere, fructus tamen suæ congruæ sustentationi debitos, vel quos bona fide absumpsit, neque inde ditior factus est, restituere non cogitur. Layman cit. Apud quem Suarez, & Henriquez, movent, dictam inhabilitatem etiam extendendam esse ad quodvis munus, vel dignitatem Ecclesiasticam, præter Papalem, v. gr. munus Legati Apostolici, Inquisitoris, Episcopalis administratoris, Prælati Ordinis; item ad munus eligendi, Beneficia conferendi &c. Quia prohibito exercitio actus censetur prohibitum illud omne, per quod pervenitur ad illum actum. Exinde

85 II. Infertur I. excommunicatum esse incapacem beneficii Ecclesiastici durante excommunicatione obtinendi, non autem antea obtenti; cum nullo Jure constet, excommunicatum esse inhabilem ad beneficia recepta; quia potius cap. Pastoralis, de Appell. supponitur, quod talis, manente dominio beneficii, privetur preventibus, II. Collationem quoque Officii Ecclesiastici, & sæcularis, habentis annexam Jurisdictionem, excommunicato factam non subsistere. Ratio est: quia prohibito uno censetur prohibito id, per quod ad illud pervenitur. L. Oratio sibi de Sponsal. Sed excommunicato utriusque dignitatis actus prohibetur: ergo & prohibito est ei, pervenire ad hujusmodi dignitatem. Ita Hugolinus, Sayrus, & Bonacina. Multi tamen tenent oppositum de promotione ad Officia sæcularia. III. Infertur, te non acquirere beneficium tibi tempore excommunicationis collatum, licet illud jam absolutus acceptes; quia invalidè acceptas, ob nullitatem collationis; quæ sicut ab initio fuit nulla, ita neque tractu temporis convalescit, argum. cap. Non firmatur, de Reg. Juris in 6. proinde opus est nova collatione. Nihilominus Layman citat. num. 7. ait: Probabile tamen est, si facta collatione excommunicato, suspenso, &c. antequam is acceptet, à censura absolvatur, acceptionem validam fore, dummodo interea collator conferendi voluntatem non mutavit, sicut docet Lessus lib. 2. cap. 34. num. 119. IV. Si eligaris ad beneficium tempore, quo habilis es, acceptes verò, dum excommunicatione ligatus es, valida est tua acceptatio. Ita Palaus, Andreas à Matre DEI, Sayrus, Bonacina, Diana, & Alii. Ratio est: quia acceptatio beneficii non est actus Jurisdictionis, sed quædam actio particularis facta à Persona privata, quæ non potest se eligere, aut sibi beneficium conferre; solumque est significatio suæ voluntatis circa beneficium sibi collatum: At, post factam collationem potest suam vo-

luntatem explicare circa illud, quod excommunicato non prohibetur: ergo &c. Idque consuetudinem, ac praxim Rotæ ita observare, testatur Covarruvias apud Andream à Matre DEI.

III. Itaque excommunicatus, dum ipsi confertur beneficium debet se alio honesto titulo excusare; si id non possit, & ex manifestatione excommunicationis immineret periculum scandali, vel infamiae, interim acceptet beneficium, & quamprimum dispensationem, quæ æquivalet legitimæ collationi, secretò petat à S. Pœnitentiaria, quando collatio beneficii spectat ad Sedem Apostolicam: aliàs ab Ordinario, si collatio ad istum spectet, ut colligitur ex cit. cap. Postulasus, de Clerico excomm. ministr.

IV. Conventione DD. quod si excommunicatus possideat beneficium aliquod, illum teneri ex naturali Justitiæ æquitate ad fructuum restitutionem, quando Officium Beneficio est annexum, neque per se neque per alium præstat: quia dantur tamquam merces operis. Si verò excommunicatus Officium, per se, vel per alium, licitè, sive illicitè exequatur, non tenetur eos restituere ante Judicis sententiam, sed eos retinere potest secundum probabilem sententiam Navarr. lib. 2. cap. 2. nu. 229. Avilæ, Sanchez, Layman cit. cap. 2. num. 9. Vasquez, Hurtadi, Coninch, Bonacina, & aliorum. Ratio est: Quia excommunicatus, vel ab Officio suspensus, ratione censuræ formaliter, ac præcisè, fructibus privatus non est; cum id nullo Jure expressum reperitur: Igitur Pena tam gravis, quod beneficium ante Judicis condemnationem, fructibus beneficii seipsum spoliare debeat, facile assequenda non est. Manet igitur tutum, quod excommunicatus non omittit fructus beneficii ipso Jure, seu ante sententiam Judicis, modò validè præstet suum Officium: quamvis enim coram DEO non rectè illud præstet, præstat tamen, quantum ab Ecclesia exigitur, ut quis fructus percipere valeat.

Quæ in hoc §. de beneficio Ecclesiastico diximus, etiam intelligenda sunt de pensione Spirituali, non verò de temporali, seu Laica, nec probabiliter de mixta, seu partim temporali, partim Spirituali. Ratio est: quia in pensione Spirituali militat eadem ratio supra allata, quæ militat de beneficio Ecclesiastico; non sic in aliis pensionibus. Ita Layman cit. n. 8.

QUÆSTIO III.

De reliquis effectibus excommunicationis majoris.

SUMMARIUM.

- 89 Excommunicatio major privat Jurisdictione Ecclesiastica excommunicatum non toleratum;
90 Secus dicendum est de tolerato;
91 Et idè hic potest esse Judex, & Parochus validè;
92 Item conferre, presentare, & eligere ad beneficia Ecclesiastica.
93 Excommunicatio privat etiam communicatione forensi, seu Judiciali excommunicatum vitandum.
94 Nunc nequit esse Judex, Advocatus, testis, &c.
95 Contractus tamen ab eo initi, tamquam à Persona privata sunt validi.
96 Sicut, & Testamentum ab eo factum valet.
97 Excommunicatio etiam privat communione fidelium Politica, seu Civili.
98 Exceptis quibusdam casibus.
99 Quale sit peccatum communicare cum excommunicatis?
100 Quales Penas incurrant communicantes cum excommunicatis;
101 Reliqui effectus excommunicationis majoris adducuntur.

ASSERTIO III.

Excommunicatio major privat excommunicatum Jurisdictione Ecclesiastica; Communicatione forensi, seu Judiciali: Ac etiam communicatione fidelium politica, & civili, exceptis quibusdam casibus. Communis DD. apud Matrium Theol. Moral. disp. 13. qu. 2. art. 3. n. 54. & seqq. Layman cit. & Alios.

§. I. Excommunicatio major privat Jurisdictione Ecclesiastica propriè dicta

89 I. Excommunicatum non toleratum. Ita habetur Canon. Audivimus: Causa 24. qu. 1. & cap. ad probandum, de sentent. & re judicata. Actus autem, seu usus Ecclesiasticæ Jurisdictionis, quibus excommunicato privat, sunt præcipere, legem ferre, vel judicium tam in foro contentioso, quàm in foro pœnitentiæ, dispensare, vel licentiam præbere aliquod munus Ecclesiasticum, Jurisdictionem delegare, Indulgentias concedere, & similia. Ex quo inferitur, nedum illicitos esse quoscumque actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ propriè dictæ exercitos ab excommunicato non tolerato, sed etiam invalidos. Ita Matrius cit. Dicitur est: Jurisdictioni Ecclesiasticæ propriè dictæ: quia nullo Jure probatur, talem excommunicatum esse privatum usu Jurisdictionis non propriè dictæ; hinc teste P. Patrio Sporer Theol. Sacram. part. 4. c. 1. sect. 4. n. 362. Doctores communiter docent, quod Parochus excommunicatus etiam non toleratus validè assistat Matrimonio, quia illa assistentia non est propriè actus Jurisdictionis.

90 II. Dicitur etiam est, excommunicatum non toleratum esse privatum Jurisdictione Ecclesiastica: quia gesta per excommunicatum toleratum, etiam si pertineant ad Jurisdictionem propriè dictam, valida sunt, & subsistunt, nisi contra ipsum excipiantur. Communis apud Matrium citat. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 13. Qui citat Navarrum, Avilam, Lessum, Suarez, &c. Ratio est: Quia Ecclesia talem excommunicatum tolerat, fidelibusque permittit communicare cum ipso in humanis, & Divinis: ergo reliquit Jurisdictionem in illo; siquidem aliàs non foret expeditus ad hanc cum fidelibus communicationem, & consequenter acta per ipsum, etsi requirant usum Jurisdictionis, subsistent: quamvis ipse, se ultrò ingerens in actibus Jurisdictionis graviter peccet, nisi aliunde excusetur, puta ob parvitatem materiæ, ignorantiam &c. Dixi: nisi contra ipsum excipiantur, ad eligendum videlicet Jurisdictionis actum, qua exceptione proposita excommunicatus toleratus cessare debet: at excipiens tenetur excommunicationis speciem, & illius Aurorem manifestè probare intra octo dies; si minus, nulla est exceptio, cap. 1. de except. in 6. Ex his

91 III. Patet, excommunicatum toleratum validè exercere munus tam Judicis, quàm Parochi, nulla contra ipsum facta exceptione; atque adeo potest lites decidere, causas judicare, absolvere, dispensare, &c. Secus, si contra ipsum excipiantur; cum non teneantur fideles communicare cum illo, sed liberè ejus confortium vitare possint. Hinc etiam Palaus, & Bonacina docent cum Layman cit. præceptum, & excommunicationem latam ab excommunicato tolerato valere, nulla exceptione opposita. Ratio est, quia Jure antiquo Judex excommunicatus occultus retinebat Jurisdictionem, quousque per exceptionem elideretur cap. Exceptionem, de Except. & cap. 1. cod. tit. in 6. At Jure novo quibet excommunicatus toleratus reputatur talis, qualis Jure antiquo reputabatur occultus: ergo: ex quibus

92 IV. Colligitur insuper, collationem, & præsentationem factam ab Episcopo excommunicato tolerato esse validam; at esse invalidam, si fiat ab Episcopo excommunicato non tolerato ob rationem supra datam, idemque procedit de electione, utpotè quæ jus in Beneficium confert; excipitur tamen electio Romani Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium eligentium excommunicationem, suspensionem, & interdictum invalida est, ex Clement. ne Romani, de Elect. Quare, si ad aliquam electionem excommunicatus non toleratus cum aliis Electoribus concurrat, & suffragium excommunicati ita foret necessarium ad Canonicam electionem, ut alia suffragia sine illo essent insufficientia, electio non subsisteret, ex cap. ad probandum, de sentent. & re judicata. Ubi actus duorum Judicum, quorum unus erat excommunicatus, pronuntiat nullus. Similiter electio tenet, dum excommunicatus se ingerit electioni, invitis aliis Electoribus, vel illius vitium ignorantibus, si illius suffragium superfit, & non sit necessarium: quia ob participationem cum excommunicato vitando, quem declinare nequeunt, non debent suo Jure privari. Imò etiam in casu, quo scientibus, & consentientibus aliis Electoribus talis excommunicatus simul cum aliis suffragium fert, si illius suffragium superfit, & non sit necessarium, electio valida est. Ita Matrius cit. Henriquez, Coninch, Hurtadus, Palaus, Layman, Bonacina &c. Ratio est: quia per confortium inhabilis, non inhabilitatur ab Electores, siquidem utile per inutile non

Suppl. Theol. Decal.

vitatur, cap. 37. de R. I. 6. Ergo, si dempto excommunicati voto, nihilominus vota sufficientia in electum cadunt, electio subsistet. Plura de hac materia relinquo Canonistis discutienda.

§. II. Communicatione Forensi, seu Judiciali

I. Privatur excommunicatus non toleratus, seu vitandus, unde talis excommunicatus nec licitè, nec validè exercere potest actus judicii forensis, seu ad judicium forensè, etiam sævulare spectantes, ut sunt judicare, agere, procurare, advocare, scribere, & testificari; ita habetur cap. Decernimus, 8. de sentent. Excomm. in 6. cap. 1. de Except. in 6. & cap. veniens, 38. de testibus, & ex aliis juribus apud Matrium cit. n. 55. Nisi fit excommunicatus toleratus, & invitetur ad id ab eis, cum quibus communicat eos exercendo, ut docet noster Doctor Seraphicus D. Bonaventura in 4. d. 18. art. 4. q. 5. Unde

II. Excommunicatus nequit esse Judex, nec Ecclesiasticus, nec sæcularis, ut communis tenet sententia, & Praxis Ecclesiæ, & colligitur ex c. Præsidentes, de Hæreticis. Ratio est: quia ad hoc, ut Leges, vel sententiæ latæ vim habeant, debent ab eo ferri, qui Jurisdictione non est privatus: Excommunicatus autem est Jurisdictione privatus: ergo. Item nequit esse Advocatus, nec procurator in judicio, neque testis, ex c. Decernimus, de sentent. Excomm. in 6. & ex cap. Intelleximus, de judiciis; quia Excommunicatus privatur Civili fidelium consortio, ex c. penul. de sentent. Excomm. Ergo etiam privatur eorum consortio in judiciis, & si compareat, potest ei opponi exceptio excommunicationis, & si non opponit reus, debet eam opponere Judex ex c. Decernimus, de sentent. Excomm. in 6. Si est excommunicatus vitandus, seu non toleratus. Si verò sit toleratus, poterit Judex, & reus ipsum in judicio admittere. Item excommunicatus non toleratus nequit esse Tabellio publicus, scilicet scriba, vel Notarius ex cap. cit. & ob eandem rationem. Unde est Regula Generalis DD. in cap. ad probandum, de sentent. & re judic. Acta ab excommunicato non tolerato, virtute publici officii, ipso facto esse nulla; acta tamen ab excommunicato tolerato esse valida, licet ipse peccet, si ultroneè contra præceptum Ecclesiæ communicet cum fidelibus, nisi ad petitionem fidelium, & eorum necessitatem ea agat. Nec tandem potest esse Tutor, aut Curator, neque testamenti executor, ut docet Sayrus, Suarez, Sylvius, Layman, Diana, & plures alii, apud Matrium cit.

III. De contractibus Emptionis, Venditionis, Locationis &c. qui sunt ab excommunicato non tolerato, Doctores respondent cum distinctione: si enim contractus hujusmodi celebrentur à tali excommunicato ratione publici officii, ver. grat. à Prælato, Curatore, Tutore, &c. sunt invalidi, ut colligitur ex cap. veritatis, de Dolo, & contumacia. Et ratio est: quia hujusmodi excommunicatus suspensus est ab officio, Beneficio: ergo caret Jurisdictione, & consequenter contractus ab eo celebrati invalidi sunt, tamquam à non habente Jurisdictionem, si verò hujusmodi contractus sint celebrati ab excommunicato etiam non tolerato, non ratione, & titulo publici muneris, vel officii, sed privati, sunt validi, ut communiter docent Canonistæ in cap. Si verò 34. de sentent. Excomm. Nam si essent invalidi, hoc idè esset, quia aliqua Lege Civili, vel Ecclesiastica, in odium excommunicati, irritantur; sed nulla in Jure reperitur Lex talis illos irritans; imò contractus matrimonii validus est ab excommunicato initus: quia excommunicatio non est impedimentum dirimens matrimonium. Item professio in Religione facta ab excommunicato est valida, ex cap. cum illorum, de sentent. Excomm. ut ibi notat Abbas: sic etiam Donatio ab excommunicato facta est valida ex cap. inter Dilectos, de Donationibus: ergo idem dicendum est de aliis contractibus. Matrius cit. num. 56.

IV. Denique etiam Testamentum ab excommunicato non tolerato factum est validum, & ratum, etiam cum excommunicatum instituit hæredem, si in omnibus aliis juxta formam Juris contentum sit, ut colligitur ex cap. cit. veritatis, de Dolo, & contumacia, & cap. Decernimus, de sentent. Excomm. in 6. & ex cap. ad probandum, de sentent. & re judicata. Ratio est: quia testamentum valorem habet ex voluntate testatoris, quæ ad hoc efficax est, nisi per Legem irritetur; at nullum est Jus irritans testamentum ab excommunicato factum, nec incapacem reddens Hæreditatis excommunicatum, ne possit hæres institui; sicut etiam nulla est Lex reddens excommunicatum incapacem eorum, quæ ab intestato, vel per donationem